



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Qua industria inopiam Operariorum Euangelicoru[m] leuarit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

*Qua industria
inoptum opera-
riorum Euan-
gelicorum la-
uavit.*

num, qui re ipsa, admouendaque ad opus manu publicam rem iuuarent, tum teneræ ætatis institutionem per studiose complectebatur, & enixè fouebat, tum suscipiebat erigendos, subleuandosq; impeditos difficultate domestica adoleſcētes, qui præ se indolem ad studia habilem ferrent, eos piorum benignitate alebat, inq; literarum, ac virtutum educabat studiis, vt ex iis Curiones, alii- que sacrorum administri sobolescerent. Inde Præfulibus autor erat Contubernia discētium in suis Diœcesibus excitandi. Inde Collegium Germanicum in Vrbe Roma semper vsque adeo fouit. Quippe ipse mittendos eò conquirebat adoleſcentes, eosdemq; optimè animatos mittebat: nec desinebat deinceps ad officium per literas inflāmare: stipem quoq; vnde Collegij tenuitas ante Gregorium XIII. leuaretur, studiose corrogabat. Demum reuersis in Germaniam locum quaritabat, & conditionem expromendæ industriæ. At vbi opus adeo salutare eius maxime monitu Gregorius suscepit, idē autor fuit, vt per Germaniam quoq; id genus Seminaria ponerentur, & præclara conscripsit monita, quibus ita primo disciplina domestica regeretur, tum ad publicam lucem inde

inde alumni transferrentur, vt in Ecclesiæ vsum
quod maximum id instituti per se saluberrimi genus
cederet. Præterea viros doctrina, ac religione pub-
lice cōmodos vndiq; aduocādos curabat; suade-
batq; iis, penes quos rerum gubernacula erant, vt
ab latere eos haberēt. Postremò vt societas quoq;
abundaret operariis suis, nunquā desiste-
bat modesta precum assiduarum contentione Præpositos
Generales vrgere, ac propemodum fatigare, vt ex
Italia, ex Inferiore Germania, ex Hispania ipsa sup-
petiæ mitterentur. Ex qua religiosa flagitatione
lumina illa Germaniæ data sunt, Theodoricus
Canisius, Alfonsus Pisanus, Hieronymus Turria-
nus seu Torrensis, Laurentius Magius, Gregorius
Valentia, aliaq; quàm plurima. Vt profiterentur
ipsi Præpositi cū alia natione nulla æquè Societa-
tem fuisse in subsidiis mittēdis benignam. Quip-
pe quanquam vbiq; laborabatur sociorum ino-
pia, tamen cum periculum per se regionum, tum
autoritas, & assiduæ Canisij flagitationes decora-
tæ humillimis conditæq; precibus, faciebant, vt
earum potissima ratio, vel non sine aliarum par-
tium incommodo haberetur. Qui quantopere
cum subsidia noua submitterentur, gestiret, ex il-
lis

lis intelligere est eius Epistolæ verbis. Benedictus Dominus, inquit, qui misericordiam suam fecit nobiscum, dum exoptatos fratres, & operarios novos mittitis. Respiciat Dominus hanc nouam oblationem vestram, vt iuxta desiderium nostrum impleat omnes eo zelo, & spiritu, quem Germania nostræ morbi requirunt in ministris Ecclesiæ. Maius ego in his tenebris, & miseriis gaudium non expecto, quam cum mitti video à Domino missis eos, qui se & sanguinem suum offerunt Deo, & Sanctis eius pro tot in Germania pereuntibus. Ille autem ne planè videretur ingratus ad Collegij quoque Romani, vnde in totum septentrionem ea tempestate educabantur operæ, leuandam, quæ summa erat, inopiam, identidem ex locupletibus emendicatam mittebat stipem. Necessè erat in eo vim facere modestiæ suæ: nec dissimulabat in arte se (ita enim appellabat) sancti Francisci haud multum valere; tamen Caritas animarum omnia pervincebat. Euenitq; semel, atq; iterum, vt, cum Romæ Patres articulo necessitatis pressi certa summa in diem certam pendenda egerent, diesque pensionis adesset, nec mutuam alicunde reperire potuissent, antequam dies exiret, syngrapha per-

ferre-

*Inuit Collegij
Romani mo.
piam.*